EQVITIS POL




Propketia S. Hyldegardis Brovii T. XV.
Fol. 465.

Saluatores nominantur. ab Equite. fol. 4.

1626

Joannis Broscii Curzelowensis
Medicinae Doctoris ordinarii
Astrologi. post mortem ipsius
Bibliothecae maioris Collegii in
Academia Cracoviensi. rogat
autem ut omnia quae hic inser
ta sunt, integre ad posteritatem
conseruentur aliogui unitatem hanc

Destruenti anathema
Conseruanti benedictio.

300. 

IX. 10. 1.

Contactus. ad punctum

Vulgaris hic oculus caligabit diffideq; plurimum.
Procul este prophani.

inter 9 et 10 reponitur Proca Dawidowa Zahorzenii Calissii impressa, etsi locus non exprimatur, scriptum maledicum ab ipsis Jesuitis consarcinatum sub nomine Zahorzenii ipso consentiente evulgatum. omnia enim quae in illo continentur ego audivi ex ore Friderici Schembek Jesuitae, audiverunt et alii. Zahorzenius vero praeter Canonicatus studuit omnes Bursarum consuetudines, nullo modo scire potuit alio, quam ex relatione Jesuitarum tragoediam illam adornantium.

Contenta in hoc volumine

1 Equitis Poloni actio in Jesuitas prima

2 Spongia contra Equitem Rasa

3 Actio Arnaldi in Parlamento Parisiensi

4 Praeparatio de redeuntibus

5 Ad Pauli quinti per Republica Veneta Oratio

6 Gravis deliberatio de compescenda crudeli contra Jesuitas

7 Odprawa na Artykuły przeciwko Jezuitom Jezuitów

8 Responsio ad reprotestationem Jesuitarum

9 De Ignatio Concio Zahorzenii Calissiensis

Proca Dawidowa Zahorzenskiego

10 Obiaśnienie przeciwko Jezuitów Staszica pośledz

11 Tarcza obrony przeciwko prący

12 Vindiciae adversus Zahorzenski

13 Confutatio concionis Zahorzenskiej

14 Expostulatio Borussi stylo durissimo

15 Gratis, Przywileje, Consens.

16 Epistola cuiusdam ad quendam

17 Ad Senatores Regni Poloniae Scriptum Jesuitarum

18 Widok Stateczności Jezuickiej: S. Xawierego obraz

Desiderium Anathema

Consensus benedictio.

Ioan. Mariana Hispanus Jesuita libro 2 c. 10
Antiquis temporibus qui ex Monachis Episcopi ac summi Pontifices extiterunt numerare vix licet, nostra aetate vix aut alterum eorum non tam vitae integritate quam malis artibus ambitiosis [illegible] esse perspectum consideravimus. Vide totum illud caput.

Iosephus Patriarcha.

Sev

ORATIO ECCLESIASTICA

De B. IGNATIO Fundatore SOCIETATIS IESV,

Authore R. P. STANISLAO ZAKRZEWSKI Can. Reg. S. T. L. Ordinario Prædicatore ad S. Geor. Warſ.

Aperuit Ioſeph vniuerſa horrea & vendebat Ægyptiis.

In hac Oratione cognitio Societatis aperitur, eaque Sancta, ſincera, deuota, fructuoſa, oſtenditur. Omneſque contra eam friuolæ obiectiones ſplendore veritatis diſiiciuntur.

Cum licentia Superiorum.

CALISSII.
Ex Officina Alberti Gedelii, Archiepiſcopalis Typographi.
Anno Dni. 1620.

Sub regimine Iesuitarum est ista Typographia in Collegio ipsorum. Cum vero licentiam Superiorum nominant an potius non visum a Iesuitis librum?

Illustrissimo Domino

D. STANISLAO ALBERTO RADZIWIL, DVCI IN OLYKA ET NIESWIESZ.

Vicecancellario Magni Ducatus Lituaniæ, Capitaneo Luceorien. &c. D. suo colendissimo.

Pater STANISLAVS ZAKRZEWSKI, Can. Reg. S. T. L. Salutem in Domino precatur.

IOsepho Patriarchœ, clarissimi nominis tui titulum præfigere placuit Illustrissime Domine. Voluntas enim de I. C. V. benè merendi cupida non alio destinauerat: haud ignara ex nomine I. C V. eximium Iosepho nostro splendorem accessurum. Ille quippe, qui aliquod opusculum omnium oculis inspiciendum in lucem edere contendit, patrono opus habet: qui & nominis claritudine operi decus & ornamentum afferat, & fortitudinis scuto, iacula & sagittas inuidorum, ne veneno malitiæ labori obesse possint alieno, auertere valeat. Quod vtrumque beneficium ex clarissimo C. V. nomine mihi promanaturum quis est quẽ fugiat? Si enim lucis splendorem huic opusculo requisiero; Familia Illustrissimorum Ducum Radziwil, quid clarius? splendidius? nobilius? antiquiusuè? Iam vero

I. C. V. eximia pietas, feruentissimus in promouenda fide Catholica ardor, erga omnes, maximè tamen erga bonos, digna Principe viro humanitas, morum grauitas, vbique locorum summa authoritas opusculum hoc ingenti decorabit lumine. Si vero animum fortitudine munitum cōtra liuidos postulauero, omnia aderunt in promptu tum quia facili negotio authoritate & claritudine nominis inuidos deterrere facile I. C. V. poterit, tum quia amicus & cultor existens Societatis IESV, hanc prouinciam suscipere haud dedignata I. C. V. fuerit, siquidem pro honore Societatis Sanctæ & impollutæ tanquam pro aris & focis pugnare, laude dignum ab omnibus veritatis cultoribus habetur, viuat fœlix I. C. V. & felicibus hoc nouum matrimonium auspiciis omni tempore experiatur. Datum Wars. 20. Feb. Anno Dni. 1620.

Ioſeph Patriarcha
Sev
ORATIO
Ecclesiastica
De B. Ignatio Fundatore Societatis IESV.

DIcturus de Beatiſſimi Patris Fundatoris Societatis Iesv, laudibus, multum diuque in varias animi diſtrahebar ſententias, facturus necne operæ pretium eſſem, ſi non dicam in exornandis, ſed vix in enarrandis tanti viri heroicis virtutum ſpeciminibus orationis meæ curſum diuagari permitterem. Aud. Nob. Tanta enim virtutum varietate, tam inſigni diuinarum & humanarum ſcientiarum facultate, tanta viuendi ſanctitate & morum probitate, tanta in ſuper in Eccleſiam Dei fertilitate & vtilitate Beatiſſimus iſte Patriarcha, luxiſſe rerum geſtarum monumentis celebratur, vt nullum ingenii flumen quod eius omnes animi dotes exornare valeat, reperiri poſſe cenſeam. Merito igitur ſummo virtutum eius ſplendore retractus à propoſito ſuperſedendum cæpto labori æſtimabam. Non enim me aquilam quæ recto aſpectu aduerſum intuear ſolem agnoſco, ſed potius talpam me & non lyncem in eius celebrandis virtutum encomiis fateri non erubeſco. Contra feruentiſsimus erga hunc Beatiſſimum

mum Patriarcham, & ab eo fundatam Societatem amor, cuius flammam in pectore meo, magis magisque crescere quotidianis sentio experiméctis, erumpere de præcordiis gestit, & vela demissa trepidantem eleuare, Oceanumque virtutum eius exigua cymba petere compellit. Omnia vincit amor, eius vis nullius vnquam metus aut trepidationis horrorem pertimescit vnquam, nititur audax, & quod semel ardenti concupiuit desiderio, illud inextinguibili exurit flamma. Amore igitur tuo B. Pater compulsus de tuis celeberrimis laudibus verba facere aggredior. Ades B. Pater auxilio, effice linguam infantis disertam, illustra mentem tenebris ignorantię obfuscatam, & hoc meum erga te studium gratissimo animo prosequere, vos Auditores, dum hunc Beatissimum virum laudibus efferendo, eum S. Ioseph Patriarchæ celeberrimo comparare, omni ope studeo, beneuolas præbete aures.

AVE MARIA.

ISrael autem diligebat Ioseph super omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum. Beatissimum hunc Patriarchã Ignatium in senectute mundi genitum, & idcirco summo amore & dilectione præ cæteris natu maioribus filiis præuentum fuisse noueritis. Si enim Diuus Paulus splendidissimum illud & mundissimum vas electionis sermonem de se ipso, cæterisque Apostolis institués, mundum præ senectute morti proximum esse asserere non dubitarit, (inquit enim 1. Cor. 10. *Nos sumus in quos fines sæculorum deuenerunt*) multò magis nos B. Ignatium, temporibus Apostolorum post mille quingentos

ſuccedetem annos, in ſenectute mundi à Deo eſſe genitum affirmare non erubeſcemus. Eo enim temporis interuallo, Beatiſſimus Ignatius, retibus diuinæ vocationis, ex aquis voluptatum turbulentiſſimis, extractus & in littore cœleſtis cōtemplationis quaſi denuo genitus à Deo collocatus fuiſſet, mundum ſenio grauatum, & iam decrepitum fuiſſe vitæ eius, Scriptores referunt. Curuus quippe & ad terram inclinatus, (quod eſt ſenectutis manifeſtum indicium) incedebat mundus, quia illa tempeſtate exemplo Lutheri multi terrena tantum aſpiciebant, terrena cogitabant, terrena ſapiebant, de cœleſtibus autem vix vllam cogitationem & curam ſuſcipiebant. Humoribus malis abundabat mundus, id eſt, innumeris vanitatibus & cogitationibus prophanis, deſideriis, peruerſis ac noxiis ſe vindicandi, ac proximum damno ſiue iniuria afficiendi, laſciuis præterea & inordinatis carnis appetitionibus plenus vigebat mundus. Catharris adhæc à capite deſtillantibus refertus erat, qui nihil aliud ſunt, quam vanæ cogitationes, atque cupiditates honorum, opum, dignitatum. Fungebat, quia charitate in proximum, & amore in Deum deſtitutus erat. Confeſtim igitur, ſuam omnem operam & ſtudium contulit, ad renouandum mundum, ſicut aquilæ iuuētutem Beatiſſimus Patriarcha Ignatius, depoſito pompoſo amictu, & ſplendido veſtium apparatu deſpicatui habito, ſaccum induit, fune lumbos ſtringit, ampliſſimiſque relictis diuitiis, nudus nudum ſequitur Chriſtum, reliquos omnes crebris admonitionibus & frequentibus ſermonibus conatus calefacere atque inflammare, charitate in proximum, pietate in pau-

peres,

peres, amore in Deum, spiritu ac zelo in seipsum, quod cum fœliciter spiritu S. cooperante in cordibus Christianorum efficeret, sicque mundi senescentis iuuentutem renouaret, summo amore à Deo Omnipotenti, tanquam filius in senectute mundi genitus præueniebatur, crescebatque & præualebat confundebatque impios.

Videntes autem fratres eius quod à Patre plus cunctis filiis eius amaretur, oderant eum nec poterant ei quidquam pacifice loqui. Conualescebat inquam & superabat plurimos, lucebatque exemplo sanctitatis Beatus Ignatius. Vestis erat vt dixi saccus asper, ac vilis caput dies ac noctes intectum, humus pro lecto, somnus perexiguus, ac media nocte orationis causa interpellatus: ter quotidie acriter repetebat flagellum, facto prius, postea verbo omnes ad explenda Dei mandata inflammaturus. Sed vix inchoauerat Ignatius Salmanticæ, consueta pietatis officia exercere, & ipse diuino amore æstuans, reliquos igne diuini eloquii accendere, ecce tibi subito oritur in virum sanctissimum vehemens furoris tempestas. Datur vir S. in carcere, teter erat locus: addita est catena biceps, altero alterius pedi capite innexo, cuius carceris fœtidum squallorem admirandæ patientiæ præbens exemplum, dum forti & inuicto animo tolerat, in iudicium spirituale vocatur. Vbi cum primum stetisset, aperuit Dominus os eius, & impleuit eum spiritu sapientiæ & intellectus. Honestissima itaque de eius & sociorum doctrina, vitaque laudabili lata sententia, altero & vigesimo die dimittuntur. Non disparem conditionem Christi doctrinam cœlestem, in cordibus hominum disseminantis fuisse legimus, qui

qui cum feruentissimis exhortationibus publicanos & peccatores in viam veritatis & iustitiæ traducere inchoasset, extemplo nauiganti aduersi oboriebantur venti, crocitantibus & obstrepentibus impiis atque dicentibus. *Vnde huic tanta doctrina nonne fabri filius iste est?* Saulus quoque post conuersionem suam ad Dominum, confundebat Iudæos, sed subito consilium fecerunt, vt eum interficerent, custodiebantq; portas die ac nocte, ne incolumis & saluus elaberetur. Ac proinde vir sanctissimus, dum in principio conuersionis suæ tantam tempestatem experitur procellas, nihil sibi metuendum proponit, Christi se vestigiis inhærere cognoscit, haud ignarus omnium proborum doctrinam & pietatem obtrectationibus & inuidiis patere. *Vidi somnium, quasi solem & lunam & stellas vndecim adorare me.* Sed habet curam suorum Deus: qui conclusit ora Leonum, ne seruo suo Danieli diuinæ gloriæ propugnatori nocumentum aliquod inferrent, & qui adfuit tribus pueris in ardentissimam fornacem iniectis, saluos & incolumes Angelo flammarum incendia extinguente conseruauit, quique Dauidem de manu Saul ereptum in solio Regiæ dignitatis collocauit, ille idem consolatus est Beatum Ignatium virum hunc omni sanctitate conspicuum, refulsit sol in clypeos & dissipata est fortitudo gẽtium, luna quoque dedit splendorem suum. Tantis enim reuelationum consolationibus Patriarcham hunc Beatissimum, à Christo Domino, eiusque Beatissima matre repleri solitum fuisse legimus, vt iure merito solem iustitiæ Christum Dominum, & sanctissimam Virginem Mariam, pulchram vt Lunam, ei quodammodo summum fauorem & honorem præ-

 stitisse;

ſtitiſſe; fateamur quippe Regiæ in ſuos familiares beneuolentiæ manifeſtum illud indicium eſſe, quem præterit, cum Rex illorum habitacula ingreditur, & quo in ſtatu res eorum ſint benignè ſciſcitatur. Talem autem ſortem fuiſſe B. Ignatii rerum ab eo geſtarum, memoria poſteritati relicta fideliſſimè teſtatur, ac proinde quis ei ſolem & lunam non fauiſſe inficias ibit? *Vix*, inquit vitæ eius ſcriptor *nouū hominem induerat, cum ipſa quoque Dei mater paruulum IESVM in vlnis geſtans, eximia ſpecie, ac fulgore nitens, ſuam illi dum vigilat, præſentiam longo ſpatio declarauit, tanto exultantis animi gaudio, & commutatione voluntatis, vt à cunctis huius vitæ iucunditatibus, incredibili repente faſtidio cœperit abhorrere, ac nominatim inſignem perfectæ caſtimoniæ cupiditatem conceperit.* Quid vltra? Excludebatur, inquit idem Author, ab Vrbium, & Oppidorum ingreſſu, non recipiebatur hoſpitiis: ſtipe non iuuabatur, ipſis quoque Viatoribus pallore, ac macie tanquam peſtilens, erat horrori. Verum incedebat ſuo Ductor & Socius peregrino Chriſtus IESVS, tanto præſentior, quantò longius aberant humana ſolatia. *Qui prope Patauium etiam videndum ſe illi, vti ſolebat Manreſæ obtulit conſolans & ad aſperiora confirmans.* Idem in vrbes ipſas Patauium, ac Venetias, quæ ob eoſdem peſtilentiæ metus perægrè patebant externis, aditus ei facillimos dedit, vt ita appareret, certare quodammodo famuli fidem, & indulgentiam Domini. Ecce Ioannes in tribulatione, & regno, & patientia Chriſti IESV, propter verbum Dei, & teſtimonium IESV Chriſti, anguſtiis difficultatum circumuétus, ſed in ſpiritu audit, poſt ſe vocem magnam tanquam tubæ dicentis & conſolantis. Noli timere, ego ſum primus & nouiſſimus, viuus & ſui mortuus, & ecce

ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis & inferni.

Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.

Quarum reuelationum stimulis, impulsus Beatus Ignatius, toto pectore in id incumbit, vt quam plurimos colligat manipulos, & cœlesti inferat horreo. Eius quippe condiscipuli, quamuis ipse doctrina minor inter eos præ modestia æstimaretur, ex eius vsu exemploque ceperunt suauitatem Domini degustare, festo quoque die pro ludorum oblectamentis, & gregalium liberiore conuictu, sacras ædes, & Oratoria religiose terebant, animosque tum suauissimo mysteriorum vsu, tum orandi iucunditate pascebant. Stetit inquam manipulus Beati Ignatii, crescebatq; in immēsum Domino cooperante pia opera eius: cunctis admirantibus in viro illo diuinæ potentiæ maiestatem, & condigna veneratione eius sanctitatem prosequētibus, adiicit author vitæ eius. Multos quidem ille eo tempore, vel ex Hæresum scopulis, vel vitiorum probris eripuit, multos ab humanis ad Diuina traduxit: quorum plerique non vulgari aliqua probitatis laude contenti, perpetuis se inclusere Cænobiis, reliquo vitæ spatio cum virtutis admiratione exacto: vt etiamnum Carthusiensium, & Prædicatorum, Fratrumque Minorum Ordines testes sunt. Stetit inquam manipulus Beati Ignatii, cum eius fama longè lateque manāte multi viri doctissimi, ex quibus proseminata est Societas, in eius se perpetuam disciplinam & curam tradiderunt. Stetit Beati Ignatii manipulus. Societas enim ab eo

fundata quam numeroſè toto iam terrarum orbe ſit diffuſa atque diſperſa, teſtis eſt tot populorum atq; nationum, vix ante cognitarum ad Chriſti ſacra per eam conuerſio. Stetit eius manipulus, & in tantam creuit amplitudinem, vt cum ſimilis lapidi de monte ſine manibus decidenti exiſteret, totam terram impleſſe ſua magnitudine animaduertatur. Creuit ille manipulus in arborem vertice cœlum tangentem, cuius aſpectus eſt vſq; ad terminos terræ. Folia virtutum Societatis pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in ea. Proſperatur quidem Ioſephi meſſis, ſed dum pecudibus adhærentes viſitat fratres, crudelem in modum ab eis exagitatur.

Confeſtim igitur vt peruenit ad fratres ſuos, nudauerunt eum tunica talari.

Mouit ea res plurimis bilem aduerſum Beatum Ignatium, cum animaduerterẽt multos à vita pecoribus ſimili ad cœlibatum ſanctimoniamque reuocari. Soléne eſt in Academia Pariſien. ſupplicium, quod de loci nomine Aulã vulgus appellat, probroſum ad dedecus, & peracerbum ad ſẽſum, quod & in aula frequẽtiſſima cõprehẽſus ſubito reus, cunctis ſpectãtib', nudetur ad flagra; ſeditioſorum potiſſimum & improborum Academicorum dedecus, & à primario Collegii cunctiſq; Magiſtris, certo à ſingulis plagarum numero impoſito, verberetur. Hoc innocẽti Ignatio Ioannes Pẽna Magiſter, nõdum plane hominis perſpecta virtute parauerat, eo duntaxat nomine, quod auditores per pietatis ſpeciem, (vt ipſe interpretabatur) ab ſe abduceret, & ſurſum deorſum miſceret omnia. Iamque Collegii Primarius Iacobus Gouea, vir ille quidem prudens ac cæteroqui bonus, ſed in

hac re nimis omnino credulus, ſententiam tulerat iniquiſſimam. Congregati ſunt Principes & Scribæ, & Seniores populi, & ſtatuentes in medio Apoſtolos interrogabant in quo nomine aut in qua virtute feciſtis hoc vos. Tunc repletus ſpiritu S. Petrus adeo feruenter locutus eſt, vt ſtupefacti quid loquerentur ignorarent. Dedit Dominus Beato Ignatio in illa hora quid loqueretur, manentibus qui ſibi nocumẽtum famæ parabant turpiſſima confuſione affectis.

Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum.

Etenim cum non tam Ignatii, quam Dei cauſa peteretur, tota illa iniquiſſimi iudicii calumnia momẽto concidit, & ſupplicii turpitudo, quam ad obſcurandum Ignatii nomen, & eius conculcandam authoritatem inuidus hoſtis excogitarat, in illuſtriorem eius laudem decuſque conuerſa eſt. Cum enim ad inferenda plagarum probra, Magiſtri vniuerſi peracerbis inſtructi virgis conueniſſent, Ignatius Goueam adiit, eumque magno animo ac forti perdocuit, quantis in deliciis ipſe quidem haberet vltima quæque pro Chriſto perpeti, & cunctis eſſe ludibrio: cæterum eorum ſe iacturam, quos iam ad frugem reduxiſſet, ex eo dedecore pertimeſcere. Qua Oratione & ſcilicet impulſu cœleſti, Gouea repente mutatus, prehenſa peramice dextera, hominem deducit in aulam, & qui plectendi initium facere debuit, præter omnium expectationem palam de eius laudibus dicere inſtituit, virique ſanctitate, conſtantia, & charitate in proximos collaudata, peccati ſe inſimulat, & ſuæ ſententiæ, iniquitate damnata, Ignatii pedibus ſe aduoluit, veniam cum lacrymis petiturus

O admirabilem Dominum in Sanctis suis. O innocentem Iosephum ab iniquis fratribus, gratis odio habitum, sed mirabiliter per primogenitum Ruben incolumem seruatum.

Fuit Dominus cum Ioseph, & erat vir in cunctis prospere agens &c. Inuenitq́; Ioseph gratiã coram Domino suo, & ministrabat ei.

Quibus technis & insidiis aduersus Beatum Ignatium extructis diuina virtute cœlestique ope sublatis, magna nominis & virtutum eius claritudo diuersis in locis splendescebat, omnes sanctum virum summa obseruantia & admiratione prosequi, charitate & benouólentia omnique humanitate venerari cæperunt. Multi insuper viri doctissimi sublimi dignitatum gradu abiecto, Beatissimo viro adhærent, quibus in vnum congregatis, iter Romam pro confirmando ordine sollicitus suscipit, & quocunque locorum sese confert, Dominum omnes suas actiones prosperantem experitur. Quo enim die propius accedebat ad Vrbem, cum templum ex itinere salutandi numinis gratia solus esset ingressus, mente excessit à sensibus, & in ipso contemplationis æstu, Maiestatem Dei Patris, qui filio Iesv crucem baiulanti, se suosque amicissimos commendabat clarissima luce perspexit, quos cum in suum Iesvs patrocinium, fidemque reciperet, ad B. Ignatium, placido ore conuersus; *Ego vobis* inquit *Romæ propitius ero.* Verè Dominus cum nostro Ioseph erat, cuius auxilio in conspectu Summi Pontificis gratiam inuenit. Paulus is erat huius nominis Tertius, ita se erga nascentem & postea etiam adultam Societatem gessit, vt facile possit intelligi, eum à Deo illo temporis spatio propagandæ societati donatum fuisse. Inuenit itaq;

Ioseph gratiam coram Domino, & ministrabat ei, à quo præpositus, gubernabat creditam sibi domum, cæterum breue post tempus, calumnia adulterii insimulatus, multarum calamitatum particeps efficitur.

Ingressus est ad me seruus Hebræus quem adduxisti, vt illuderet mihi, cumque audisset me clamare, reliquit pallium & fugit foras. Non dispari ratione, dum B. Ignatius ad bonum inducendis fidelibus incumbit, multaque bona opera fideliter seruiendo Domino exercet, oritur contra eum, summa turbationis procella, quietemque nauigandi cursum sua tempestate perturbat. Paucis quippe diebus partim vitæ innocentis exemplo, partim docendi, hortandique assiduitate, ingens animorum commutatio facta est: præcipue saluberrima illa nascentis Ecclesiæ consuetudo, crebræ peccatorum confessionis, & fractionis panis, longo sæculorum interuallo reuocata. Nec minus vtiliter ad fouendos ignes, ex assidua mysteriorum vsurpatione conceptos, sanandosque animorum morbos in Ecclesiæ mores, inducta toto anno ad populum Sacra concio, per festos scilicet Dominicosque dies. Orbis quoque pueris, puellisque, & miserandis Virginibus, quarum cum animis pudor in discrimen offerebatur, cōsuli cæptum. Rem paucis concludo. Omnia bona venerant in Vrbem cum S. Societate. Et cum sic impigre noster Ioseph in domo Dei operatur, ex improuiso sagittis calumniarum venenosissimis impetitur. Quidam Augustinus Pedemontanus cultu dumtaxat externo ex Eremitarum disciplina se mentiens, reuera autem Luteri fœdissimus sectator, Ignatium Sociosque eius, hæreseos flagitiorumque vari-

orum

Omnia bona in urbem cum Societate. Ergo ante Societatem nulla fuerunt? O subtilem theologum!

orum criminibus obnoxios proclamat, multosq; ad euertenda noui ordinis fundamenta inflammat, magna cum afflictione Societatis, Ortus breui post nebulam phœbus: hyems abiit, & imber transiit, Societasq; dulcia illa Sponsi sui verba auribus percepit. *Surge propera amica mea, dilecta mea, flores enim apparuerunt in terra nostra*, non enim est consilium, nec ratio contra Dominum.

Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt ei. Non inquam diu nauem illam fluctibus obrui permisit Christus Dominus, sed tanquam vir crapulatus à vino cōsurgens de somno, percussit inimicos eius in posteriora, ventisque aduersis silentium indixit. Beatus enim Ignatius in iudicio multorum clarissimorum virorum, æquissimis omnium sententiis, contra falsas criminationes declaratus est innocens, sicque in hac actione & ipse, & alii à quibus erat Societas ipsa conflanda, præclaro virtutis ac probitatis testimonio ab aduersariorum calumniis vindicati, & ita veste ignonimiosa abiecta nitidissimo bonæ famæ indumento, noster Iosephus vestitus in Curia Romana agnoscitur. O Beatum virum Ignatium, Iosepho Patriarchæ, mirum in modum consimilem. Parum dixi, dicam plura. Ipsi Christo Domino in multis similem eum appellare non erubesco. Christus enim Dominus cum peccatum non fecisset, nec inuentus fuisset dolus in ore eius, vorax, potator vini, publicanorumque socius, plenis buccis ab impiis vocabatur, & quo maiore fulgebat sanctitatis splendore, miraculorumq; magnitudine, eo maiori odio & inuidia inimicorum, ad necem quærebatur. Sic sic & B. Ignatius, sincerus

Simile Christo Domino in multis

Christi

Christi imitator, non alia via, quam per multas tribulationes, persecutiones, Christo similis incedebat, vt sic verus Dei seruus & fidelis esse tentationibus & persecutionibus probaretur. Respicite ergo ad petram filii Societatis vnde excisi estis, nec quidquam iniquorum obtrectationibus moueamini, non enim estis de mundo, *si enim de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret*, Magistrum quoque vestrum & præceptorem, prius mundus odio habuit, & semper nouercano odio prosecutus est. Vos qui estis imitatores eius, discipulum meliorem Magistro esse non decere noueritis. Verum quid postea cum nostro Iosepho factum fuerit, & quo claritudinis decarcere eductus peruenerit, attendite.

Dixit Pharao ad Ioseph, Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. &c. Antequam Ioseph Patriarcha in supremo dignitatis gradu constitutus fuisset, carceris molestia longo temporis spatio maceratus, supplex precibus obsecrauerat pincernam Regis Pharaonis, vt pristinæ Domini sui gratiæ restitutus, sui memoriam retineret, sed succedentibus prosperis Præpositus Pincernarum oblitus est interpretis sui. Noster quoque B. Ignatius desiderio æstuans è tenebris in lucem cum Societate erumpendi, & quam Domino auxiliante lucernam in Ecclesia Dei constituerat, eam super candelabrum ponendi, vt luceret his qui in domo Dei sunt, summa cupiditate tenebatur. Supremum Pontificem ob id precibus sollicitans, vt confirmata Societate toti mundo illustrando prodesset. Sed in conspectu Pharaonis Pincerna Iosephi interpretis sui, prosperitate obcæcatus, nullam facit métionem, Ignatii, inquam, summopere

e tenebris igitur cum societate erupit? Si hoc ita est ad tenebras aliquando redibit.

mopere Societatem confirmari procurantis conatus parum fœlicem exitum ſortiebantur, Guidiccionio Cardinali ortui Societatis IESV, apud S. Pontificem, omni ſtudio repugnante. Verumenimuero, quem Pincerna neglexerat, illum Deus admirabili diuinæ benignitatis gratia conſolatus eſt, & Regi Pharaoni adeò gratum & acceptum reddidit, vt illi totam domum ad gubernandum tradere dignaretur. Sic Sathan obnitente confirmandæ Societati Dei auxilium adfuit B. Ignatio. Qui hac in parte Deum ſibi putauit continenti ſupplicatione, ac ieiunio, cæteriſque corporis afflictionibus demerendum, quod cum aliquot dierum ſpatio fortiter in Domino feciſſet, exoratam diuini numinis maieſtatem declarauit voluntatum repentina mutatio. Ille enim qui diu Societatatis ortui fuerat obluctatus, tanta repente voluntatis inclinatione fauere cum collegis iudicibus cæpit, vt apud Pōtificem Max. eius deinde cauſam nemo vnquam ardentius egiſſe dicatur. Ea re Pontifex non mediocriter delectatus, ſimulque tam ancipitis deliberationis admiratus exitum, prolixo animo & Societatem ipſam Religionem & Societati inditum nomen, quinto Kalendas Octo. Anno quingenteſimo quadrageſimo ſupra milleſimum, publicis literis declarauit confirmauitque, ſicque Ioſephum noſtrum in lucem eductum, variis priuilegiorum annulo ſuo inſignitorum, acſi quibuſdam aureis monilibus decoratum, toti mundo à vitiis expurgando, alimentis diuini verbi nutriendo, bono ſanctitatis exemplo renouando, inſtitutione doctrinarum diuinarum humanarumque exercendo, contra famem & ſterilitatem Hæreſeos, bonarum artium, diuinique verbi

ſemina

femina colligendo præfecit, illosque dum in Siciliam proficiſcuntur, ſicut alterum Ioſephum Pharao, ſatis comiter & benigne, in hæc verba alloquitur: Pergratum inquit fuit nobis videre vos filii chariſſimi. Amamus enim Societatem veſtram ex animo, vt qui cognitam habeamus virtutem eius, & recte facta, & quantum quibuſcum adhuc in terris verſata eſt, ſpiritualem fructum fecerit. Vos quoque quod fore confidimus, eodem tenore pergite. Curate, vt qui præcipue ad iſtam profectionem lecti eſtis, fungamini diligenter officio veſtro: cunctis recta præbete exempla, & exiſtimationem de vobis conceptam augete. Neque ſolum Regnum, ad quod tenditis, ſed etiam Eccleſiam totam vitæ veſtræ probitate, atque orationibus adiuuate. Videtis quam mala, quam difficilia tempora ſint, quot animæ in errorem inducantur, & pereant. Itaque nominatim vobis commendamus, vt cunctis viribus contra impia hæreticorum zizania inſiſtatis, aduerſuſq; nos omni vigilantia intenti, concilium generale coegimus, vrgemuſque, ac volumus teneri, ac perfici, ſperantes quæ in ea tractari cæpta ſunt, optatum ad exitum Deo iuuante perductum iri. Adiuuate igitur filii, & vos & Eccleſiam S. Chriſti. Nos vero pro noſtro munere, ac ſingulari clementia, erga vos, nunquam protegere vos, & Societatem veſtram, fouere deſiſtemus.

Venitque fertilitas ſeptem annorum, & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Ægypti.

Confirmata per ſedem Apoſtolicam Societate, quis tam diſertus & ita eloquens erit, qui fertilitatem in Eccleſia Dei ex Societate profluentem enumerare

merare seu edicere poterit? In tanto enim numero iuuenes bonæ spei & magnæ expectationis, cæteriq; viri, doctrinarum & virtutum opinione clarissimi, ad arripiẽdum S. Societatis institutum confluebant, vt breui temporis spatio, viuente adhuc B. Ignatio prouinciæ tredecim, domicilia centum filiorum eius sincera pietate & deuotione gauderent. Orti sunt, inquam, anni fertilitatis, quippe Societate Sancta, vbique locorum probitatis exempla proximis exhibente pro superbia humilitas, pro auaritia liberalitas, pro turpitudine castitas, pro tepiditate feruens charitas inuasere. Orti sunt anni fertilitatis. Non enim solum in Prouinciis Catholicæ fidei lumine illustratis, vbi dies erat, sed in illis etiam terræ partibus, vbi nulla fidei lux mentem hominum illustrabat, sed nox tenebrosa errorum caligine omnes inuolutos tenebat breui tempore orthodoxa, fides per Societatem illata, multos illuminauit, illisque potestatem, vt filii Dei fierent contulit. Orti sunt anni fertilitatis, tot Collegia ad instituendam iuuentutem aperta, tot Gymnasia instituta, tot media ad flexibiles iuuenum animos in bono confirmandos inuẽta, vt hoc sæculum fertilissimum in studiis bonarum artium, omnis qui compos rationis est, fateri eum necesse erit.

Aperuit itaque Ioseph horrea, & vendebat Ægyptiis.

Pulcherrimam similitudinem inter horrea Iosephi, & Societatem IESV intercedere nemo est, qui id mentis oculis non perspiciat. Auditores. Quemadmodum enim horrea illa solius Dei prouidentia, ne totus mundus fame oppressus hominum morientium pestifera tabe inficeretur, congregata fuisse, omnes

agno-

agnoſcimus. Simili ratione. Societatem IESV, eiuſdē Ter Optimi Maximi Dei ope & gratia prouiſam, Beato Ignatio inſpiratam, à Sede Apoſtolica confirmatam, à Sancto ſpiritu irrigante ad ſummam perfectionem perductam, eo conſilio in Eccleſia Dei creuiſſe, ne gēs electa, regale ſacerdotium, populus inquam Chriſtianus, turpiſſima hæreſi omni peſte peſtilentiori infectus, morte æterna occumberet. Non petam ab alienis ad rem meam illuſtrandam exempla. Teſtis eſt Polonia noſtra, quam eo vſque Lutheranæ ſectæ, aliarumque a malo dæmone per ſuos miniſtros inuentarum falſitatum veneno corruptam extitiſſe rerum geſtarum memoria teſtatur, vt duo tantum ex Senatoribus. (Exceptis Reueren. D. Epiſcopis) remanſerint, qui ſalutari, Catholicæ intenti doctrinæ, vita viuerent. Adfuit Laterna cum verbi Diuini lucerna Poloniæ illuminandæ fœlix concionator, pro fide Catholica ab Hæreticis crudelem in modum interfectus. Warſawicki quoque diuini verbi excellentiſſimus Prædicator, haud impigrè ſuum exequebatur officium. Sed & Grodzicki, cum Skarga diſſertiſſimi noſtra ætate Eccleſiaſtici Oratores, adeo fortiter in diabolicas illas ſectas inuehi cæperunt, vt hac tempeſtate vix aliqua veſtigia illarum appareant. Deſcendit de monte Moyſes cum gladio ſalutis quod eſt verbum Dei, & Lutherum ſeu potius vitulum carnalia deſideria perficientem venerantes & ei obſequētes, è caſtris Chriſti fideliter eiecerunt. Iudith vidua ſanctiſſima Societas, inquam, ſine macula, tota pulchra, Holophernem ebrietati & ventri deditum trucidauit, ceſſitque humilitati Heſter Naman ſuperbia, Regnum autem Poloniæ ſublata peſte

ſalutari Societatis IESV gaudet doctrina. Tu ergo Societas S. es honorificētia noſtra. Tu gloria Iſrael, Tu lœtitia Hieruſalem, Tu decus populi Chriſtiani, tuo beneficio Monaſteria noſtra, Templa noſtra, totiuſque Eccleſiæ ſalus in ſuo ſtatu conſeruata, & aucta & exornata. Adhæc ſicut horrea illa Ægyptiaca per annos ſeptem congregata, plurimis poſtea alimenta ſubminiſtrabat gentibus: Sic Societas S. ſeptem donis S. ſpiritus ditata omnium mentibus ſalutaria præbet alimenta. Quem enim præterit S. Spiritus Sapientiam, Intellectum, Conſilium, Fortitudinem, Scientiam, Pietatem, & Timorē Domini, qui in Societate floret florere? Quibus Societas opulenta diuitiis, Sapientia quidem gubernat ſeipſam, intellectu contemplatur cœleſtia, conſilio deſpicit terreſtria, fortitudine contemnit tranſitoria, ſcientia illuſtrat iuuenum ingenia, pietate prouidet egenis neceſſaria, timore perſuadet metuenda diuina iudicia, quæ quoniam in Societate luce meridiana clariora conſpiciuntur, ſuperſedendum his animaduerto vnico duntaxat exēplo in medium allato. S. Ambroſius vir ſanctimonia vitæ inſignis, rerumque variarum cognitione conſpicuus, in libro cui titulus Hexameron, deſcribens variarum auium naturas, refert, Halcyonem auem maritimam, inſigni præ cæteris auibus gaudere priuilegio in hæc verba. Halcyon auis eſt maritima, quæ in litoribus fætus ſuos edere ſolet, ita vt in arenis oua deponat, medio fere hyemis, nam id temporis fouendis habet deputatum partubus, quando maxime inſurgit mare, littoribuſque vehementior illiditur fluctus, quo magis repentinæ placiditatis ſolemnitate auis huius eluceret

gratia

gratia. Namque vbi vndosum fuerit male positis ouis subito mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatusque aquarum quiescunt, ac placidum vẽtis stat mare, donec oua foueat, Halcyon sua. Septem autem dies fœtus fouet, quibus decursis educit pullos suos fœtusque absoluit. Non dispari ratione Societas S. in littore maris fundata pleno ore dici potest, nunquam se immergens aquis voluptatum, nunquam vanis mundanæ fœlicitatis fluctibus suam credit nauem, sed potius sicut columba requiescit super fluenta aquæ, rapacium auium vmbras declinare peritissima, qua aliquo in loco existẽte non facile turbatur mare. Vbi enim Iesuitæ suum habent domicilium seu etiam Collegium, procul indé dissensiones, bella, cædes, tumentes superbiæ fluctus, pompæ, cõuiuia superflua, insoliti clamores, naufragia virtutum. &c. Sed potius pax, quies, fælixque & prospera in laudibus diuinis nauigatio. Non turbatur inquam mare, nam septem ouis, id est donis S. spiritus collocatis, omnes turbationum procellas, tentationum æstus, dæmonum incursus, libidinum ardores gnara Societas modo volucris domare & depellere. O Fælix horreum. Addo omnibus quicunque veniebant in Ægyptum, subsidium ex horreis per Iosephum congregatis dabatur, omnesque omnium gẽtium hominumque status ad horrea illa effuso plane curso properabant, reuertentes cum alimentis in domos proprias. Hoc modo ad Collegia Domosque Societatis, omnes homines, cuiusque sint conditionis aditum sibi patẽtem inueniunt, & secundum desiderium suum verbo virtutis satiati discedunt. Veniunt Principes & magnates, & ne sapiant vltra quã

oportet

oportet ſapere, ſed omnia habentes tanquam nihil habeant ſentire docentur. Veniunt afflicti variarumque turbationum fluctibus exagitati, & conſolationis remedia capiunt. Veniunt ægroti variiſque peccatorum morbis deturpati, & ſanitatis recipiunt beneficium. Veniunt imperiti, & florum omnium ſcientiarum breui tempore capiunt incrementum. Veniunt cæci, & facili remedio de viis prauis in rectas ſemitas deducuntur. Veniunt qui conſenuerunt in iniquitate, & ſicut aquila renouantur. Veniunt qui famem patiuntur vt canes & ſaturantur. Veniunt timidi, & cõfortantur, frigidi & inflammantur Rem paucis abſoluo, quicunque ianuam Domus Societatis pulſauerit, vigilantes inueniet, & prõptos ad ſubueniendum neceſſitati proximorum experietur. Refert Ouet. hil lib.2. cap.9. In Ombrio Inſula, nullum prorſus aquæ genus exiſtere, cum nec ſcaturigines puteiue vlli ſint, neque vnquam ibi pluere, ſicut nec in Ægypto: at Dei beneficentia ab arbore aquarum ſcaturiginẽ excitat, quotidie ſummo crepuſculo. Exudat enim plurimo quaſi rore arbor illa à ſtipite, tum à ramis, ac foliis, non aliter, atque ſi nebula in aquas ſolueretur: vbi ſol irradiauerit, ſoluta prorſus circa arborem nebula, deſiit aquarum diſtillatio, profluit tamen illo modico crepuſculi interuallo, tanta aquarum copia, quæ & incolis & iumentis ſuperſit eſtque ſalubris, Imo ſaluberrima S. Societatis diuinæ ſapientiæ aqua: notum enim eſt Societatem, ante occaſum ſolis, quotidianis de rerum ſpiritualium dulcedine meditationibus intentam, mentes ſuas rore cœleſti irrigare, eaſdemque diuini fontis ſcaturigines hominibus ad ſe accedentibus,

tibus, ad reficiendas, purgandas & abluendas eorum sordes profluere. Hæc est enim illa Petra, aquas in copia, populo Israelitico siti vehementer laboráti & iumentis eorum exhibens. Hæc est illa Rebecca puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro, descendẽs cum hydria ad fontem aquæ, & cunctos ad se venientes cum summa beneuolentia, vt bibant etiam cum camelis inuitando. Hæc est illa piscina, ab Angelo ante auroram commoueri solita, omnibus infirmis saluberrimum præbens remedium. Testantur rerum naturalium inuestigatores, aquilam esse generosum animal, in sublime semper tendens, infima hæc mundana fastidiens: adeo enim in altum ascendit volatu suo, vt cum ab hominibus ipsa conspici vlterius non possit obtutu humano, ipsa tamen de tanta sublimitate pisciculos natare videat, celerrimoq; lapsu, sagittæ modo, eos prędatur & in littus trahit. Oculorum quoque acie clarissima est, pullos adhuc implumes cogit aduersum intueri solem, tum cuius oculi prius lacrymarint, hunc occidit, reliquum educat illud quoque de hac regia aue dignum memoria refertur. Eam, nunquã prædam quam ceperit solam comedere, sed reliquis auibus quæ eam volantem sequuntur, dilaceratam vnguibus in partes disiicere. Omnia hæc de Aquila in medium prolata, rei nostræ illustrandæ mirum in modum conuenire in promptu est, Nonne Societatis conuersatio in cœlis? Nonne hæc S. religio cœlestia potius quam terrena desiderat? ascendit quidem alis contemplationis vsque in cœlum Empyreum, sed stat pedibus humilitatis in abysso humanæ naturæ vanitatis, reliquos etiam, vt ad iustitiam Christi pleno cor-

no corde suscipiendam conuertantur in Gymnasiis suis iuuenes inducendo, qui oculum auerterit, limine scholastico arcetur. Sed tertium illud nostro proposito accomodatissimum, prædam retibus suæ sapientiæ captam, & in seruitutem Dei abductam, non tantum sibi in cibum à Societate reseruari, sed etiam reliquis Ordinibus communicari. Quid ita? Plurimos enim Societas bonæ indolis adolescentes manu ad omnia prõptos, & acri ingenio præditos, eximiæ pietatis cultores, suis fréquentissimis exhortationibus, persuasionibus, vehementibusque concionibus, ab illecebris mundi auocatos non solum Societati, sed etiam clarissimo Ordini Prædicatorum, Bernardinorum, aliorumque sanctissimorum Ordinum familiis, strenuos in vinea Christi operarios submittunt, quippe antequam Iosephus noster sua horrea aperuit in Polonia, vbi nunc centum religiosi, antea pauculi habitasse memorantur. Igitur omnia omnium Ordinum monasteria animaduertentes religiosissimis, & doctissimis viris, repleta florere, exclamare non erubesco, nec inuidorum vanos clamores pertimesco. Hæc est præda Societatis, Hic est labor B. Ignatii, Hi sunt manipuli Iosephi Patriarchæ, Aliter qui senserit, aut inuidus est, aut rationis expers. Notandum. Horrea etsi benè septa conspiciantur, ne aditus ad deuorandos manipulos suibus, cæterisque brutis animalibus pateat, videre tamen licet, cursitantes circa horrea sues, & suis dentibus iam terram, iam sepe ipsum proscindentes, vt aliquo effosso foramine viam sibi ad triticum deuorandum aperiant. Attendite. Societas S. etsi sit bene munita muro sanctitatis, & antemurali, fama boni nominis,

vallo

vallo quoque & fossa profundæ humilitatis, circumdata profluente aqua compunctionis, nihilominus sues in luto peccatorum sese volutantes, iniquis faucibus murmurantes circa horreum hoc cursitare, & dentibus acutis eius famam proscindere non cessant ô fustem contra sues quercinum. Multi, inquam, reperiuntur ex illis, qui Catholico nomine gaudent, nomine inquam non re, quorum Deus venter est, vitaque eorum ventri obediens, terram proni, & non cœlum sublimes spectantes, qui huic horreo bellum indicunt, nomen bonum eneruant, famam proscindunt, libellos famosos spargunt, omni via & modo Religioni sanctæ nocere, & gloriam eius extenuare desiderant. Nec mirum. Ægris enim oculis odiosa est lux, quæ sanis est amabilis, semper cæci & claudi dicunt. Non ingredietur huc Dauid. Hoc mirandum & summa admiratione excipiendum, à propriis discipulis Societatem lacerari. & pro amore gratitudineque filiali, quandam agrestem barbaramque crudelitatem erga matrem suam exhiberi. Quis enim in admirationem non rapietur, cum audierit à filiis vbera quæ suxerunt, dentibus crudelem in modum dilaniari? O discipuli Nerone crudeli crudeliores. O genus viperinum corrodens viscera matris suæ. Maledictus Absolon, qui Patrem è medio tollere contendebat. Maledictus Ruben qui ascendit lectum Patris sui, & turpi pollutione fœdauit. Maledictus Cham, qui Patrem suum ludibrio exponere non erubuit.

Sed videamus causas, quarum ergo tanta contra Societatem inter homines consurgit procella. Eas autem esse quatuor animaduerto, quas etiam quidã

homo perfrictæ frontis in sua Cathedra, iniquo odio contra Societatem callidoque consilio edita satis astute occultasse conspicitur. Cui quidem fraudulento homini & alienæ famæ furi, satis copiose Cathedram contra Cathedram statuendo rescripseram, & cum in lucem librum exhibere contendo, ecce tibi summa Societatis patientia, & modestia conatibus meis reluctata, dissuasit ne facerem; Deo committés & innocentiæ suæ, sui defensionem, & ita laborem à me susceptum in vanum abire magna cum animi mei molestia, compulit hæc S. Societas IESV pro malo bonum reddere solita. Legisset vir ille sibi oblatum responsum, & fortassis præ confusione capitis vertiginem incurrisset. Verum relicto illo tanquam omni memoria indigno: Causas vt dixi quatuor reperio, quarum vi, contra Societatem odio & obtrectationibus persequendam multi impelluntur. Harum autem prima est. *Lingua Societatis, nullis habenis, nec discretionis fræno cohibita passim in omnes ordinum status sine præuia deliberatione audax insurgit.* Sed dixerunt hoc impii non recte apud se cogitantes. Lingua enim Societatis intra limites suos adeo continetur, vt contrarium asserere sit mendacium diligentis; sed quoniam est ignita lingua, frigidum vero pectus non capit ignitum eloquium, idcirco cum prædicatores Societatis surgentes sicut ignis in spiritu Eliæ, alta & sublimia (quod est ignis proprium officium) deprimunt & veritatis luce scelera hominum aperiunt, pseudoprophetas seu Ministros Hæreticorum lumine fidei adurunt, subito ab impiis turbatores pacis, homines inquieti, pacis inimici, non refrænantes linguam suam appellantur. Væ qui dicitis bonum malum,

lum, & malum bonum, odit Michæam Achab, quia non prophetat ei bonum sed malum, Sanctus quoq; Stephanus, dum Iudæos sceleris & infidelitatis argueret, audiétes eum dissecabantur cordibus & stridebant dentibus, & extra ciuitatem educentes lapidabant eum.

Altera causa hæc est. *Societas quietis religiosæ impatiens, per domos, & plateas discurrit, Regum Palatia, Principum curias, Senatorum aulas non vocata adit, Cathedras alienas & Ecclesias inuadit, & occupatas tenet, possessiones opulentas acquirit, vno verbo vitio auaritiæ & inuidiæ laborat.* Breuibus respondeo, huic contra Societatem communi obiectioni. Christum Dominum iuxta sermones horum hominum vitio inconstantiæ subiectum fuisse, qui multas ciuitates solitus erat peragrare, plurimas domos visitare, huc atque illuc verbum diuinum disseminare Martham quoque sibi necessaria ad victum subministrantem conuenire. Sed & Elias non recte fecisse conuincitur, qui viduæ paupertate & inopia oppressæ, molestum se, petens ab ea subcinericium panem, exhibuit. Eliseum quoque, hospitis suæ humanitatem cum acceptaret, peccati condemnandum esse. Imo & Iosephus à Pharaone accersitus, multisque gratiarum priuilegiis locupletatus honestissimam illam conditionem acceptando immunis à vitio auaritiæ non remansit, Mardochæus cum molestia aliorum ad fores palatii sedens, pœna vituperii dignus erat. Quod si illos omnes rectum modum in suis actionibus tenuisse affirmatis, eodem ore Societatem eiusmodi incumbentem actionibus innocentem confiteri vos necesse est. Licet ouem perditam exemplo Christi quærere, & cum Prophetis, si quid ab hominibus of-

fertur acceptare semper licitum erat. Regum quoq; ac Principum gratiam cum Iosepho & Mardochæo, oblatam obuiis excipere manibus, nullo auaritiæ vitio notatum.

Quod attinet ad Cathedras Ecclesiasticas, Societas nunquam vi aut fraude, sed per ostium intrare solita est in ouile Christi: quoniã vero cæteris postpositis vt plurimum Societati, Cathedræ Ecclesiasticæ efferuntur, causam ex verbis Christi auscultate. Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Agnoscitur in Societate zelus in prædicando fortior, eloquentia fusior, doctrina copiosior, affectus vehementior, vita sanctior, quid mirum, si ab omnibus hoc honore Cathedrali præueniuntur, cum omnibus grati & accepti, sua pietate & eruditione efficiuntur. Non mirum Esau primogenitum odio haberi, Iacobum Iuniorẽ diligi. Possessiones etiam necessarias esse collegiis erectis neminẽ fugit, duobus enim dominis nemo seruiuit vnquam: etenim iuuentutem instruere, omnibus spiritualia remedia quærentibus præsto esse, carceres, xenodochia, infirmos inuisere, confessiones assidue excipere, & simul victum per domos quærere impossibile est quod autem opulentas & bonas quærat villas Societas merum mendacium, necessitati tantum, non voluptati seruitur in Societate. Norunt eius parsimoniam, norunt frugalitatem, norunt paupertatem, qui eorum facta, & vitæ rationem penitius norunt. Tertia hæc est. *Societas Politicos imitatur, omnibus applaudens, & dissimulatione cunctis se accommodans, quis autem discolor non est hæreditas Domini.*

Sed

Sed & hæc falsa obiectio gladio diuini verbi cõtra eam euaginato facile rescinditur. Nonne legitur ab Apostolo digna æterna memoria illa prolata sententia. *Factus sum omnibus omnia, vt omnes lucri facerem.* Hoc cum Societas fideliter exequitur iniusté vitio polyticæ sectæ notatur.

Quarta causa hæc est. *Societas ad officia & dignitates fautores suos promouet, cum illius munus sit diuinis non humanis rebus incumbere.* Cur oculus inuidorum nequam est, quia Societas bona est, si enim aliquando dignos & bonæ famæ viros, vt inde maior Dei gloria oriatur promouent, immunem ab omni vitio Societatem iudicio omnium esse existimarem, sed quia malos non promouet, mali crepant, bonis inuident. Nec enim Achimelech Sacerdos Dei altissimi Dauidi conferens panes Ecclesiasticos á scriptura reprehenditur, etsi Saul obcæcatus inuidia multos ex Sacerdotibus trucidauerit, sed tamen veritati insistendo ab his Societas omni studio elongatur, nec cum Betsabee Salomonem pro Adoni, in regnum sufficere nititur. Nulla est contra Societatem fortis contradictio. Societas est speculum sine macula, Seminarium omnium virtutum, hortus conclusus, porta clausa, nulli carnalitati, adulterio, cæterisque vitiis aliquando aperta. Societas est lilium inter spinas, in mundo extra mundum, in carne extra carnem, Deo fideliter seruiens. Societas est Sancta, sincera, fidelis, deuota, lucerna pedibus omnium. Contrarium qui asserit, aut hæreticus, aut pessimæ vitæ Catholicus esse agnoscitur, aut certé á talibus deceptus. Felix horreum Societas, cunctis necessaria ad pié beateque viuendum subministrans. Sed nos reuertamur ad Iosephum

phum Patriarcham. *Et Ioseph erat Princeps in terra Ægypti.* Principem esse B. Ignatium in Domo Domini, nemo sanæ mentis negandum censebit, si negare præsumpserit, nostris compulsus rationum argumentis, à suo tenaci deterritus proposito, in meam sentententiam pedibus volens, nolens ire debebit. Princeps igitur est B. Ignatius in domo Domini. Si enim voluero eum comparare S. Patriarchis, quorum memoria solenni in sacra Scriptura mentione celebratur, inter eos omnium æquissimis sententiis principatum obtinere monstrabitur. Prodeat in medium Noe, qui inuenit gratiam coram Domino, hic in arca ædificata tempore diluuii, ne totum deleretur humanum genus, octo tantum animas conseruasse legitur. At noster Beatus Ignatius absque numero animas in religione per se, S. Spiritus gratia cooperante, ædificata, ex aquis voluptatum ereptas Deo obtulit, in æternum cum eo regnaturas. *Est igitur Ioseph noster Princeps in terra Ægypti.* Abraham insigni posteritatis dignus memoria, qui ad vocem Domini, egressus est de terra sua, & de cognatione sua, & de domo Patris sui. Sed tamen tulit Sarai vxorem suam, & Loth filium Fratris sui, vniuersamque substantiam quam possederant. Noster vero B. Ignatius, amore Christi incensus, dereliquit omnia, generis nobilitatem, diuitiarum amplitudinem, agros, sorores, fratres &c. Omnia denique mundi bona adeo despicatui habuit, vt dici de illo rectè possit, dimissis omnibus, secutus est IESVM, nudus nudum. *Est igitur Ioseph noster Princeps in terra Ægypti.* Iacob Patriarcha & ille eximia laudum prædicatione extollendus, per quietem vidisse scálá cœlum vertice tangentem, & Deum innixum scalæ, Ange-

Angelos quoque per eam aſcendentes & deſcendentes memoratur. Ille quidem vidit, & per ſomnium, vt fertur, vidit. Noſter vero B. Ignatius eam ſcalam ædificauit; Societas quippe ab illo fundata, certiſſima in cœlum, propter perfectionis gradus, quibus conflata eſt, ſcala, iure meritiſſimo appellanda, cuius filii ſicut Angeli Dei, in cœlibatu adeo vitam caſtam, & ab omni libidinis vitio longe remotã ducunt, vt nullum luxuriæ crimen in Societate aliquando cum ſcandalo aliorum auditum, vel minima ſuſpicione conceptum fuerit, aſcenduntque in ſupremam cœli regionem per altiſſimos contemplationis gradus, deſcendunt autem per profundiſſimas humilitatis ſubmiſſiones. *Eſt igitur Ioſeph noſter Princeps in terra Ægypti.* Cum Prophetis etiam comparatur hæreditas eius inter eos. Principalis eſſe omni dubietatis ſcrupulo remoto, agnoſcitur. Repleuerat enim Dominus ſeruum ſuum ſpiritu Prophetiæ, quem in multis rebus prædicendis adeò feliciter effundebat, quaſi non futura caneret, ſed præterita enarraret, vnicum ex multis in medium prolatum exemplum rem noſtram illuſtrabit. Cum enim Antuerpiam aliquando veniſſet, in Mercatorum corona, fertur præcipue in iuuenem è Methymna campi, Petrum Quadratum nomine, obtutum fixiſſe, & ſeuocatum monuiſſe, grates vt ageret Deo, à quo lectus eſſet, qui olim in ſua Patria Collegium Societatis IESV cõderet. Quam prædictionem multis poſt annis comprobauit euentus. Hoc reliquis ſuperior Prophetis, quia nullis matrimonii complexibus implicatus fuerat, quod de nullo Prophetarum, excepto B. Elia, legiſſe quemquam, aut affirmaſſe animaduerto. *Eſt*

igitur Ioseph noster Princeps in terra Ægypti. Apostolis quoq; iunctus B. Ignatius maiori laude coronandus videtur, tum quia non vilia retia, sed amplissima palatia, & splendidissima vestimentorum ornamenta, tum quia non viua sed interna voce à Domino vocatus omnia derelinquere & cōtemnere non distulit. Martyrem etiam cum appellauero, non à veritatis sententia aberrabo, toties enim carceris angustias, vinculorum molestias, variarumq; afflictionum difficultates pro pietate perpessum legimus, vt à Martyrio, si veri iudices agnosci desideramus, excludendum non esse censeamus, maxime cum de filiis eius innumerabiles martyry coronam obtinuerint. Angelus quoque Dux exercituum Domini dici potest. *Iussit Ioseph ministris, vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis.* Veniunt omnes ad horrea Iosephi, seu ad Collegia Societatis; Ioseph, vero gratis, inquit, date, quia gratis accepistis, gratis iuuentutem bonis artibus instruite, gratis omnes labores in excolendis hominum animis suscipite, gratis omnes scientias effundite, & si quid pretii obtulerint, reddite & reponite, pecunias singulorum in sacculis suis. O stupendam erga proximum charitatem. Quis vnquam vidit laborem sine pretio, sudorem sine præmio, curas diurnas nocturnasq; sine solario? O Beatissime Pater, graue iugum imposuisti ceruicibus filiorum tuorum, laborandum esse circa bonum proximorum doces, & manducandos eorum labores prohibes? Currendum in stadio mandas, sed brauium aut coronam in prę̄mium laboris, haud sumendam desideras? Sed respondet Iosephus noster. Iugum meum suaue est, & onus leue, charitas enim

non

Comparatio Sancti Petri cum Ignatio impudentissima

Si non manducarent iam olim fame periissent. Ubi autem tot latifundia? tot oppida; tot villæ.

non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti, & proximorum noſtrorum. O B. Ioſeph, quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus? aperuiſti horrea & gratis ſubminiſtras famelicis alimenta. Benedictus Deus, pro tam inſigni prouiſore. Tu quoque B. Pater, dignus es omni laude & honore. Societas quoque à te erecta, omni à nobis cultu obſeruanda. *Omnem pecuniam congregauit Ioſeph pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis.* Vultis tamen ſcire, cur tantos labores in procuranda proximi ſalute ſubierit ipſe, Societateque ſubeundos mandauerit? Habete, propter ærarium Regis. Dicam clarius. Propter maiorem Dei gloriam, illius enim ſcopus iſte erat omnia ad maiorē Dei gloriā dirigere: hinc eius cōſuetudo ſancta, & ab omnibus imitanda promanauit, vt cum aliquid ſcriberet faceretue, titulum ſui laboris, & incepto operi. *Ad Maiorem Dei Gloriam.* præmittere ſolitus eſſet. Subiecit itaque Ioſeph Regi Pharaoni, cunctos populos eius à nouiſſimis terminis mundi, vſque ad extremos terminos eius. *Dixit Ioſeph ad Fratres ſuos. Cum vocauerit vos Rex & dixerit? Quod eſt opus veſtrum? Reſpondebitis, viri paſtores ſumus ſerui tui.* Non alta ſapiebat B. Ignatius, ſuiſque ſectatoribus hoc mandatum in ſumma obſeruatione habendum cenſuit, vt ſi voluerint terram Geſſen fertiliſſimam omnium, terram, inquam, promiſſionis æternæ ingredi homines ſe viles, & abiectos agnoſcant, ac proinde quoniam hac in parte Sanctiſſimo Ioſepho Fratres eius obediunt, profundaque animi ſubmiſſione vbique locorum, reliquos præcellere nituntur, confluunt ad eos, aquæ benedictionis diuinæ in conuallibus, bibunt de torrente in via aquas, propterea exaltabunt caput, hic & in futuro ſæculo. AMEN. DIXI.

in ærarium Regis Hispaniæ

Sapiebat alta cum Societatem suam appellauit Societatem Iesu. sectatoresque sui nimis alta sapiunt.

Varsaviam 1626 . 26 Febr.

Audio dixisse R^mum Legatum hoc verbo: Habebant
Jesuitae pro suo favore sententiam: Si haec ita sunt
negocio iudicium. Neque enim decet sedem summam
ad favores inclinari. Christus est Veritas, Via, Lux
Vicarius igitur Christi est Vicarius Veritatis Viae
atque lucis. Respectus ad personas quascunque aut fa
vores hactenus fuerunt damnosissimi. Sciant autem totum mun
dum iudicaturum de iudicio aut Rotae aut summi
Pontificis. Si quid diversum fiat, lapides etiam clama
bunt. Unionem nobis ne sanctus quidem Paulus per
suaserit, qui sumus artes omnes Jesuiticas tam probe
quam septuagenarius aliquis Jesuita, aut ex plus. Re
velabuntur aliquando. Interim nos Philosophorum il
lud considerabimus: Ens, Unum, Verum, Bonum convertuntur.
Magno intervallo distant Unum et Unitum. Unum est
Unum. Unitum multa continet. Lupus dum ovem
appetit, Unionem appetit. Vult enim carnem ovis
in suam, hoc est lupi carnem converti. Mitto hoc
Unum exemplar per occasionem tradat R^mo Legato.
Vale. Cracoviae 26 Febr. 1626.

SIN c CERE moniis

Si quid habes Iesu vita ne quam tibi partem
Qui socium fingit latro vafer rapiat.

Gdy na Grob
Sa zdobit Boh
pa [illegible]
wyznasone
Mor. Vide X slow
napisat.
lege in decem
notu
faciam [illegible]
wiaryi